Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1905

Quelle:
Copyright:

4. Exemplar ipſum *Italicum* habes *Cod.* DXII.

XX. *Queſtio de Agone Chriſti.* Initium: *Video hunc morem a maioribus inſtitutum et receptum eſſe in ſcholis, ut tali tempore atque ex hoc loco quæſtio aliqua proponatur.* In Scholis, ni fallor, *Witebergenſibus* agimus. Quaeſtio porro eſt: *Vtrum ille ſudor* (ſanguineus Chriſti) *ſecundum naturam fuerit, an non?* cujus expoſitioni Diſputator ſubjicit: *Sed cum hæc quæſtio difficilior ſit — defero eam uberius tractandam Clariſs. et doctiſs. uiro D. Caſpari Crucigero* &c. Paucis iſte. Cauſſam agonis Chriſti eſſe *iram dei aduerſus mea et tua et omnium hominum peccata. Hanc ſcit in ſe tanquam uictimam effundi.* De quaeſtione id unum: *Moueor uocabulo* Θρόμβος (Luc. 22. 44.) *ut exiſtimem hanc ſudorum reſolutionem fuiſſe totius corporis languefacti, et iam biantis et diſſipantis ſanguinem et omnes uires. Foll.* 4.

XXI. Relatio germ. de Modo Caenam Domini agendi apud *Ratisbonenſes*, ſeu, *Warhafftiger Bericht eines Erbaren Rats der Stat Regenſpurg, warum vnd aus was Vrſachen des herrn Abentmal, nach der Einſatzung Chriſti bey Ihnen fürgenommen vnd aufgericht, auch mit was für weyſe vnd ordnung daſelbige gehalten wirdet.* Anni 1542. cujus autumno *Joh. Forſterus Norimberga* accitus Sacra Lutherana *Ratisbonae* induxit. Titulo alia manus adſcripſit: *Credo impreſſum.* Recte. *Foll.* 8.

XXII. *De baptiſmo ac regeneratione.* Deſcriptum e *Centuria Magdeb.* II. c. 4. *Sentiunt regenerationem fieri per baptiſmum et verbum* &c. *Fol.* 1.

XXIII. *Hiſtoria vera de pœna perfidiæ quam recitauit Philippus in lectione.* Nota illa de Hoſpite Militi depoſitam pecuniam negante, et a Diabolo, qui Militi Advocatum egit, per Curiae feneſtram rapto in quodam *Marchiae Brandeb.* Oppido. Additur in fine: *Marchio Princeps narrat ad ſe ab eius oppidi ſenatu hiſtoriam in hanc ſententiam perſcriptam eſſe.* Nihilo tamen minus mirum a *Melanchthone* recoctam. *Foll.* 2.

XXIV. *Contra Papiſticas Leges Sacerdotibus probibentes matrimonium Apologia Paſtoris Cembergenſis, qui nuper ſuæ eccleſiæ conſenſu uxorem duxit.* Erat is *Barth. Bernhardi Veldkirchenſis*, quem *Seckendorfius L. I. Sect.* 45. §. 104. perperam *Bavarum* facit, *Kembergae* non procul *Viteberga* Parochus, primusque, qui Sacerdotibus ad *Lutherum* verſis facem nuptialem praetulit; unde *Halas* ab Officialibus Card. *Alberti* Archiep. *Magdeb.* in jus vocatus *Apologiam* hanc ſui loco ſubmiſit, non ab ſemet, ſed, ut a *Seckendorf.* mox *cit.* diſco, a *Melanchthone* ſcriptam, ut et ſtilus ſuadet. Edita eſt Opp. *Lutheri Jen.* T. II. f. 462. Conſtat Prooemio, quod infit: *V.*

H.